

BEATI LUCIANI BOTOVASOA, MARTYRIS

Die 17 aprilis

B. Luciani BOTOVASOA, martyr.

Lucianus Botovasoa anno 1908 natus est Vohipeno in Madagascar; anno 1922 baptizatus, scholae parochiae suae magister factus est. Paterfamilias, consiliarius commendatus in oppido, educator probatus, hilari indole praeditus fuit. In Tertium ordinem Franciscanorum ingressus, orationi die ac nocte se dedit, desiderio sanctitatis ac etiam martyrii impulsus. In rebellione anni 1947 noluit violentiae se admiscere, et suam mortem pro patriae et fratrum suorum salute obtulit. Ad ripam fluminis Matitanana gladio necatus est die 17 aprilis anno 1947. Inde ut martyr et patriae protector habitus est.

De Communi martyrum: pro uno martyre.

Collecta

Deus, qui beato Luciano
gratiam dedisti viam Evangelii sectandi et docendi
usque ad effusionem sanguinis,
dum orabat pro suis persecutoribus,
concede nobis, eius intercessionem,
ut veri discipuli et testes
mortis resurrectionisque Filii tui esse valeamus.
Qui tecum.

Epistola

Lectio Epistolae B. Joannis Apostoli (I Jn 5/4-10)

Carissimi : omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: et haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei ? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus : non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant [in coelo : Pater, Verbum et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant] in terra : Spiritus et aqua et sanguis : et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est : quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.

Ps 30, 3cd-4, 6.8ab, 16bc-17

R/In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum

Esto mihi in rupem praesidii et in domum munitatu,
Ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu,
Et propter nomen tuum deduces me et paces me.

R/

In manus tuas commendo spiritum meum ;

Redemisti me, Domine, Deus veritatis.
Exultabo et laetabor in misericordia tua,
Quoniam respexisti humilitatem meam.

R/

Eripe me de manu inimicorum meorum
Et a persequentibus me.
Illustra faciem tuam super servum tuum,
Salvum me fac in misericordia tua.

R/

R. /Alleluia. Alleluia

**Sermo tuus, Domine, veritas est ;
sanctifica nos in veritate. *Jn, 17,17***

R. /Alleluia

Evangelium

**✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem
*Jn 17, 11-19***

In illo tempore, sublevatis Jesus oculis in caelum dixit :
« Pater sancte, conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi : ut sint unum , sicut et nos.
Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: et
nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.
Nunc autem ad te venio : et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum
in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt
de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut
serves eos a malo.
De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo
tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis
ego sanctifico meisipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. »

Super oblata

In tuorum, Domine, pretiosa morte justorum, sacrificium illud offerimus, de quo
martyrium sumpsit omne principium. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ant. ad communionem (ps.26)

Unam petii a Domino, hanc requiram :
ut inhabitatem in domo Domini, ut videam voluptatem Domini,
et protegar a templo sancto ejus.

Post communionem

Tua, Domine, sumpsimus dona caelestia de hodierna festivitate laetantes ; praesta,
quaesumus, ut, qui in hoc divino convivio mortem Filii tui annuntiamus, ejusdem
resurrectionis et gloriae cum sanctis martyribus participes esse mereamur. Per Christum
Dominum nostrum. Amen.